



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 888. Usque Ad Annum 1000

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1761**

**VD18 90117921**

§. 58. Bernardus Ottonis III. Præceptor.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66313)

Sæculum X.

A. C. 983.

Inter hæc Otto II. Imperator Romam repetiit, ubi cum in morbum incidisset, & diem supremam imminere intelligeret, quidquid signatæ pecuniæ habebat, in quatuor partes divisit, & unam pauperibus, alteram Ecclesiis, tertiam carissimæ sorori Mathildi, & quartam Familiaribus suis dedit. Tum coram Papa & Presbyteris latino Sermone confessus accepta ab iis absolutione animam exhalavit die Veneris septima Decembris, postquam ab obitu parentis sui annis decem & septem mensibus regnasset. Sepultus est in vestibulo Basilicæ S. Petri, atque ante ejus Sepulchrum, quod ex Porphyrite constructum, opere vermiculato representatur Christus stans & Ecclesiam intrantibus benedicens. Ceterum Ottonis II. gesta parentis sui meritis longe inferiora sunt.

## §. LVIII.

*Bernwardus Ottonis III. Præceptor.*

vit. Sæc. 6.  
Act. Ben. p.  
202.

Ottonem III. cum coronaretur Rex Germaniæ, quatuor annorum puerum, haud diu post mater Theophania Imperatrix Bernwardo Presbytero primis scientiarum elementis imbuendum commisit. Erat Bernwardus ex primis stirpibus in Saxonia ortus, nepos Folcmari, qui anno nongentesimo septuagesimo septimo



ptimo Episcopus Ultrajectensis ordina- Sæculum X.  
 tus illam Sedem annis duodecim tenuit. A. C. 983.

Folcmarus Bernwardum adolescentem  
 Osdagii Episcopi Hildesheimensis curæ  
 commendavit, qui eum Tangmari scho-  
 læ suæ Præposito tradidit. Is præcla-  
 ram indolem Discipuli sui cœpit solerter  
 excolere, scientias omnes, artesque ci-  
 to arripientis. Quippe eleganter lite-  
 ras formabat, in arte pingendi non ru-  
 dis, Architecturæ non ignarus, gerendis  
 rebus aptissimus, ingenium a natura be-  
 nigna sortitus ad omnia eximia factum.  
 Bernwardum deinde Willegisus Archi-  
 episcopus Moguntiæ aliquamdiu apud  
 se diversantem Ordine Presbyteratus in-  
 signivit. Tunc vero se recepit in do-  
 mum Adalberonis, Comitis Palatini,  
 Avi sui materni, qui etsi permultis libe-  
 ris oneratus, Bernwardum tamen affectu  
 singulari prosequabatur. Ab optimo se-  
 ne Bernwardus diu noctuque non avelle-  
 batur, obsequia omnia, quibus vir æta-  
 te & morbis debilitatus indigebat, libe-  
 ralissime usque ad extrema exhibens.

Avo suo ad æterna translato Bernuar-  
 dus ad Regiam Ottonis III. tunc annum  
 ætatis septimum agentis profectus, Theo-  
 phaniæ Imperatricis amicitiam ita sibi  
 conciliavit, ut ea, consentientibus cun-  
 ctis Regni Optimatibus, Principem ado-

N n 5 lescen-



Sæculum X.  
A. C. 983.

Iescentem ipsius Disciplinae traderet. Sub optimo Præceptore Rex brevi temporis spatio in virtutis semita gnaviter progressus est. Ceteris omnibus Regi & juveni adulantibus, atque ad voluptates, quibus juvenus sua sponte plus justo delectatur, impellentibus, quin & ipsa matre, timente, ne quis alius plus ipsa amaretur a filio, ejusdem cupiditatibus indulgente, cum nemo alius ruinam sustineret, solus Bernardus virili constantia obstitit, & Discipulum Regium timore incusso in officio continebat, tanta prudentia & moderatione, ut non solum adolescentis animum sibi infensum non reddiderit, sed etiam, Theophania Imperatrice vita functa, solus juvenis Ottonis affectum potitus sit, a quo patris & matris loco babeatur. Si quæ consilia suggererentur, docebat Bernardus rationem, ea ad examen revocandi, & artem, qua hominum dissimulationem & fallaciam deprehenderet. Unde Princeps neminem majore in pretio, quam morum suorum Moderatorem habens a cunctis eam, quam sincera viri virtus merebatur, venerationem exhiberi volebat.



HISTO.